Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26345
Copyright: Admont, Benediktinerstift

lite sessum et postea redite. Qui reuisus profunde inclinat. Hoc a quolibet obseruatur quem hoc modo ire et redire iubetur. Ad cuius introitum fratres assurgunt et erecti ante scabella donec pertranseat consistunt. Si de aliqua consuetudine dubitatur, quicquid ille communi seniorum consilio inde definierit, de cetero quasi pro lege tenetur. Nam hoc oportet seniores quam maxime in ipsis esse prouidere, ne umquam per eum ulla consuetudo non in melius transmutetur. Quod si ipse absque fratrum consensu aliquam consuetudinem sic immutat, ut postmodo diu perstare non ualeat, humiliter inde est admonendus, et quicquid super hoc communiter a conuentu tenendum decernitur, in hoc iuxta maiorum traditionem consentire non moratur. Ad illum quoque solum respicit non solum maiores obedientiarios, uerum etiam quosdam eorum adiutores constituere, uerbi gratia adiutorem primum custodis ecclesie, kamerarii, cellerarii, magistri nouitiorum, infirmarii, armarii. Ipsos tamen obedientiarios sine et cuiuslibet celle priorem prior sola necessitatis causa potest de obedientiis suspendere, si forte domnus abbas tamdiu alibi moratur uel adeo remotus est, quod eum legatione adeum non potest dirigere. Talis autem necessitas cogit eum quemlibet eorum de obedientia suspendere, si quid tale commisit, quod per se absque domno abbate emendare non possit. A diuino uero uel predictos priores similiter uel etiam minori necessitate potest mutare absente abbate. Cui soli etiam est repositum ut quemlibet fratrem mutat in culpam grauiorem. Et hec est huiusmodi.

De culpa grauiori.

Erat quis contumax aut inobediens uel in aliquo contrarius regule extiterit, hic quoque secundum regulam est tractandus. Qui uero aliquod tale crimen ut est furtum uel sacrilegium incurrerit, sentiens illud ita publicatum esse ut non possit tanti sceleris reclamationem effugere, domno abbate capitulum tenente petit ueniam sua sponte, deinde lamentabiliter proferet in quo lapsus sit crimine. Ad quem cum audierit, ite et exuite uos et discalciate et reuertimini sic mos est, tacite procedente